Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.

Sacerdotes eius induant ſalutari, et ſancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo.

Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Gloria patri, et filio, etc.

Poſtquam compleuit hunc, dicat ad aures obſeſsi.

Domine Ihesu Chriſte, qui ante tempus incarnationis tuæ per os Dauid propheta de homine dixiſti, hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic etc. Similiter per os Salomonis: deliciæ meæ ſunt eſſe cum filijs hominum: propter tuorum uerborum ueritatem, fac habitaculum ex corpore huius mulieris tibi mundiſsimum et animam, ut ueritus compleatur tua, quæ in æternum manet uera. Sicut dixiſti diſcipulis, coelum et terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. Et quia dixiſti per os Dauid, qui tibi loquitur tanq̃ homo fragilitatem ſuam innoteſcendo: ſi iniquitates obſeruaueris Domine: domine quis ſuſtine